

ELEGIA II.

AD SERENISSIMVM

FERDINANDVM

DE MORA

EI IN ITALIA INIECTA

ET

ALPIVM TRANSMISSIONE.

R *Vmpe moras, FERNANDE, manus tibi Belgica tendit,*

Tam tibi, tam Fratri Belgica cara tuo:

Et (quamuis Moncada nihil sinit esse timendum)

Nescio quo sine te fluctuat illa metu,

Et plus à tanto (quamuis nihil ille reliquit

Armis quod potuit consilioq; geri)

Plus tamen, ut par est, à tanto Principe sperat.

Est aliquid, Diuûm ducere stirpe genus.

B

Nec

Nec minùs infelix sibi te Germania poscit,

Indiget auxiliis nec minùs illa tuis.

Te vocat assiduis, ô Princeps, utraque votis;

Dinumcrat lentos utraque mœsta dies.

Utraque cùm vocat hac, cur te tenet Itala tellus?

Cur magis illius vota precesq̃ valent?

Cur regio felix damno manet una duarum,

Plus iusto nostris perfruiturq̃ bonis?

Fam certè discessit hiems; iam frigore pulso

Apta viatori tempora veris eunt:

Iam tibi miles adest summo Duce dignus, Iberis

Et iunxit turmas terra Latina suas.

Rumpe moras igitur; populis nec ferre salutem,

Nec dubita laudes accelerare tuas.

Quid loquor? obsistit nobis natura; voluntas

Nec sua FERNANDVM, sed graue tardat iter.

Quoq̃ minùs veniat, tangentes vertice calum

Impediunt Alpes, impediuntq̃ niues.

Hoc est, infidi quod post discrimina ponti,

Post dubios timuit Belgica sæpè notos.

Sed frustrà timuit. Nam quod natura negavit,

Hoc illi Virtus iam sua pandet iter.

Nempe licet forti quouis penetrare: nec ulla

Inuia Virtuti difficilisq; Via est.

Quis teneat Volucrem, ne tendat in athera, flammam?

Quis faciat nimbis fulminibusq; moram?

Quis clausum cacis vetet exspirare cauernis,

Et celo Boream liberiore frui?

Quis, qua non superet Virtus, obstacula ponat?

Semper vel reperit, vel facit illa Viam.

Hac duce FERNANDVS per montes nubibus aquos,

Incola quos tuto vix subit ipse pedes,

Per rigidas cantes & inhospita saxa, gelug;

Obsita perpetuo per loca carpit iter.

Hac duce præcipites contemnit rupium hiatus,

Nec timet abruptas per iuga summa Vias.

Et quò consuetas pasci per saxa capellas

Vix ageret pastor, hìc sua castra locat.

Scilicet ad magnos sic tendimus, inquit, honores:

Ad famam mollis non solet esse via.

Principis exemplo miles non segnior instat;

Et pudor est tarde, quò prait ille, sequi.

Ante alios festinat Iber, fortemq₃ probare

Jam tum præcipuè se studet ille Duci:

Et mediis dum pendet adhuc in rupibus agmen,

Jam tum pugnandi tempus adesse cupit.

Jamq₃ animos, iamq₃ arma parat, iam concipit iras,

Prædicat tristem iam tibi Suece necem.

Suece cades, inquit; meritas dabis improbe pœnas,

Addidit & vires qui tibi cumque suas.

Nec minus, iniusto nisi vis desistere bello,

Battæne fatalis Mars tibi nôster erit.

Sic ait, & durum minuit spes illa laborem.

Calicola dictis pondus inesse velint.

Eiusdem.

ELE-

ELEGIA III.

D E

VICTORIA AD NORTLINGAM

OBTENTA A SER^{MIS}

FERDINANDO

IV. HVNGARIÆ REGE.

E T

FERDINANDO

HISP. INFANTE.

Plaudite io populi, patria quos cura Deiq²
Tangit, & antiqua religionis honor.

Plaudite, fortunam qui vestram ducitis esse,
Austriaca Numen quam volet esse Domus.

Et tu flere tuos (quamvis iam sepè coacta
Casare sub tali non patienda pati)

Desine flere tuos tandem Germania casus:

Desine fatorum de gravitate queri;

Tristibus ut passim tua videris oppida flammis,

Sanctaq; cum signis templa flagrare suis,

Cinibus exhaustas urbes, cultoribus agros,

Pingua de domini sanguine prata sui,

Deletasq; acies, totisq; cadauera campis

Sparsa, cruentato non bene tecta solo.

Germanas aquilas hosti cessisse pudendo,

Vincere consuetos vincla tulisse duces,

In mare Danubium currus voluisse virosque,

Purpureas Rheni saepe fuisse vias,

Et qua, quam dici possent maiora, tulisti,

Desine funestis ingeminare modis.

Jam facies rerum versa est: iam coepit olympo

Candida depulsis nubibus ire dies.

Suecia dat pœnas: versisq; in prospera fatis,

Ultio sumpta tuis dignaq; parq; malis.

Gratia

Gratia magna Deo. Vetuit Deus ipse manere

In sibi sacrato barbara signa solo.

Emendare suam voluit, non perdere, gentem:

Et pietate minor, ut solet, ira fuit.

Magna sed & vobis, ô altera causa triumphi,

O animis similes nominibusq; Duces,

O consanguinei duo fulmina FERDINANDI,

Vobis post unum gratia magna Deum.

Per vos ille fauet nobis: quas numine vestro

Protegitis terras, protegit ille suo.

Per vos parva salus; per vos Nortlinga rependet

Hactenus amissum quidquid ubique fuit.

Spes ubi nunc, ô Suece, tua, vocesq; minasq;?

Illa ubi Casarea certa ruina Domus?

Nempe prius victor fueras quacumque minatus,

Turpiter hac victus cogeris ipse pati.

Succia Germanis leges an scriberet oris?

Hanc populus dominam diceret ille suam?

Imperij

Imperij sacras regeres peregrinus habenas?

Austriacâ gereres scepra gerenda manu?

Vel gereres, vel Marte tuo quasita, cuiquam

Cui tua te iungunt pacta, gerenda dares?

Demens qui temerè sperasti talia; quamuis

Sors fuerat cœptis visa fauere tuis.

Demens perpetuos tibi qui spondere triumphos

Ausus es, hos aleret cum Domus ista Duces.

Quorum hic auspicijs fraternis, ille paternis,

Inuictusq; animis esset uterque suis.

An tibi non istis metuebas talia ab annis,

Pugna sit à castris quod prius orta tuis?

Audeat in sauos ultrò sic prada leones,

Audeat in rabidos ire voranda lupos.

Si nescis, armis, non annis, bella geruntur:

Virtus, non atas, ferre trophæa solet.

Si nescis, hostes numquam ut non vincere possint,

Austriacis robur contigit ante diem.

Quod

*Quod vobis usus, prudentia contulit illis,
Ingeniumq; annis maius utrique suis.
Quod vobis fortuna, hoc illis fata Deusq;
Hoc stirpi virtus ingenerata dedit;
Quae, veluti duris truncata bipennibus ilex,
Crescit in immensum cladibus ipsa suis.*

Eiusdem.



C

ELE-

ELEGIA IV.

A D

PHILIPPVM IV.

D E

MISSO IN BELGICAM

FERDINANDO.

Vota valent igitur; nec inexorabilis umquam
Est Deus, aut frustra nos finit esse pios.

Si negat interdum, negat ut concedere possit

Plura. Mora hac pretium non leue ferre solet.

Non leue nunc certè est, quod Belgica cepit, habetq;

Cur non auditas gaudeat antè preces.

Non quia nunc urbes, quas perdidit antè, recepit;

Alterius donum temporis illud erit:

Nec quia depositis, quod adhuc non expedit, armis

Dulcia secura tempora pacis eunt;

Tunc

*Tunc erit hoc, cùm se, quod iam reor esse propinquum,
 Subdiderit Domino Battana terra suo:
 Sed quia, quod multis meritò plus esse triumphis
 Ducit, habet Fratrem, magne PHILIPPE, tuum.
 Dumq̄, habet hunc, ipsum te Rex, se panè tenere
 Credit; & ut credat, moribus ille facit.
 Tam similis virtute tibi est, quàm tu ipse Parenti.
 Imperio minor est, cetera Fratris habet.
 Ergo Deum sibi iam fauisse fatetur abundè,
 Et Te, post magnum, quem colit illa, Deum;
 Et, quamvis animo nil non sperabat ab illo,
 Jam tamen optatis plura tulisse suis.
 Scilicet ingentem cùm plurima Regna per orbem
 Imperio & curâ sunt moderanda tuâ,
 Te, quod iure potest, tellus sibi servat Ibera:
 Nos Tibi, post illam, proxima cura sumus.
 Illa quidem servat, multos & servet in annos,
 Quo nullum speret maius habere caput:*

Sed, quo non illi propius vel sanguine possit,

Vel virtute dari, Belgica nostra tenet.

Vos igitur nobis, quorum defensa laboro,

Emptaq; saepe fuit sanguine nostra salus,

Vos precor, o magni nobis fauceatis Iberi,

Et Belgas vobis dicite panem pares;

Namque ubi, qui cunctis satis esset gentibus unus,

Vni se genti plus satis esse videt,

nam bona nobiscum diuisit vestra PHILIPPVS:

Vos Regem, Fratrem Belgica Regis habet.

Et tamen hic aliquis (veniam da patria, luctum

Si renouem, & prodam dedecus ipse tuum)

Et tamen hic aliquis Dominum non fidus in illum

Vixit? posteritas ne precor adde fidem.

Si tamen hoc certum est, nec adhuc, quod iure timebas,

Patria, paucorum crimine tota iaces;

Iraisci si dum potuit, miserescere Princeps

Maluit, offensa nec meminisse sua;

Si,

Si, quæ summa foret clades, auersa voluntas
 Non fuit, in miseros sed magè creuit amor;
 Denique si Fratrem, nondum quem fortè dedisset,
 Permotus tantis miserit ille malis;
 Qui fuit inuictas qui prodidit hostibus urbes,
 Vtiliter nobis perfidus ille fuit.
 In FERDINANDO nam plura recepimus, huius
 Quàm malè tentatum perdidit antè scelus.
 Ergo Tibi, per quem nobis sic esse beatis
 Contigit (ò BelgI spesq̃ salusq̃ tui!)
 Numina tam faueant (quid enim nisi vota queamus
 Reddere?) quàm nobis ipse PHILIPPE faues;
 Et, quàm longa Tibi petimus, dent tempora, Princeps
 Vt nôster possis esse, Paterq̃ diu.
 Atque ubi, quos terræ debes, implueris annos,
 Teq̃ tuos inter cernet olympus auos;
 Tum tuus, in laudes natus qui surgit auitas,
 Indole cognosci qui tuus esse potest,

Per tua, perq̄ tui Fratris Te facta sequatur,

Et sedeat solio non minor ipse tuo:

Sceptraq̄ cum totidem, quot Tu, gestauerit annis,

Per similes dextras posteritatis eant.

Cetera cumq̄ Deus concesserit omnia, Fratres

Tam claros habeat, quam Pater antè suos.

Eiusdem.



ELE-

ELEGIA V.

G A N D Æ

IN ADVENTV SER^{MI}

F E R D I N A N D I

G R A T V L A T I O.

Chronicon.

Ergo Venisti MihiqVe exPeCtata tVeri

Ora DatVr?

E*Rgo venisti, mihiq₃ expectata tueri,
 Promissi toties Principis, ora datur?
 Dexter ades FERNANDE; fauet tibi terra polusq₃,
 Et Deus aduentu dat bona signa tuo.
 Ecce nitet puro diffusum lumine calum,
 Cumq₃ tuo vultu conuenit ipsa dies.*

Tuq₃

Tuq̄s quod in terris, hoc præstat in aethere Titan:
Tu tenebras animis discutis, ille polo.
Ecce Tibi Paria surgunt ad sidera moles,
Aspicias laudes in quibus ipse tuas.
In quibus armorum videas monumenta tuorum,
Atque animi pariter pignora certa mei.
Ecce Tibi festis collucent compita flammis,
Latitia signis non caret ulla domus.
Suntq̄s mei ciues, quod, cum duxere triumphum,
Credibile est turmas antè fuisse tuas.
Esse suum dicunt Te post mala multa leuamen,
Extendiq̄s orant iam sua fata senes:
Et, tua quos spatijs tangit propioribus atas,
Non sibi, maiores qua subiere, timent.
Atque aliquis Tyrio cum Te conspexit in ostro,
Phœbus ut in Chynti dicitur ire iugis;
Qualis, ait, facies! quàm tanto Principe digna est!
Quàm placida speciem signaq̄s mentis habet!

At

At bona mox alius quæ sunt maiora recenset,

Quæ carpat nullus diminuatq; dies:

Quòd Tibi, cùm titulis tam sis generosus auitis,

Non tamen est Virtus nobilitate minor:

Quòd decus ipse tuis addas natalibus, & quòd

Par animus generi est, par animoq; genus.

Nortlinga pugnam tum narrat; iterq; fuisse,

Quæ foret alterius gloria summa, tuum:

Excipiunt illum plausu fremituq; sequentes,

Quisque tuas laudes spes putat esse suas.

Ipse tuus, tanto qui iam sessore superbit,

Plausibus attonitus sæpè resistit equus.

Tu, precor, intercæ totam circumspice turbam;

Quaq; venis, gaude vix reperire viam:

Et placeat quòd quisque cupit tibi proximus ire,

Et studium populi iudiciũque nota.

Cùmque sat è vultu fuerit mens cognita, dicas:

Cui tam sum carus, hic mihi carus erit.

D

Tum

*Tum subeas arcem, quâ nusquam forsitan esse
Hospitiis possit dignior ulla tuis.*

*Scilicet hæc illa est, nostro quæ præstitit orbi,
Præstiterat summo Creta quod antè polo.*

*Carolus hîc primùm, quem nunc tenet, athera vidit:
Hæc domus, hæc illi terra paterna fuit.*

*His cœpit reptare locis, tectoque sub illo
Augustus tencro vagiit ore puer.*

*Tu quoque in hos igitur latus succede penates,
Auctorem generis & venerare tui.*

*Quòdque illi natale solum est, tuare, velisque
Me partem cura, quod facis, esse tua.*

Eiusdem.

ELEGIA VI.

AD SERENISSIMUM
FERDINANDVM
GRATVLATORIA.

Chronicon.

VICIt Iter DVrVM VIrtVs tVa.

ERgo dies venit, quâ Te, fortissime Princeps,
Victricesq; manus cernere & ora licet?

Fortunata dies, Belgarum digna quotannis
Plausibus, & Vatum carmine digna coli.

Illa dies nostros inimica per arua timores,
Et Batauum ventis in mare ferre dedit.

Battave, si sapias, tua, dum licet, arma repones,
Et pacem orabis quâ geris illa manu.

Plus aliquid, moneo, solitisq; potentius armis,
Plus aliquid solito iam patiere metu.

FERDINANDVS adest; tibi formidabile nomen,
 Ni flectas Domino colla superba tuo.
 Quid paret ille tibi, campo monstravit in illo,
 Spes ubi Suecorum vestra^q fracta iacet.
 Scilicet ut timeas, potuit satis esse videri
 Durum quo venit te domiturus iter.
 Per mare, per montes, aditu^q asperrima saxa
 Duxit cum signis agmina tota suis.
 Illum & Rhatea videre in nubibus Alpes
 Tendere, & in summis ponere castra iugis,
 Creber ubi in praecipit scopulos abrupit hiatus,
 Flumina^q horrendo lapsa fragore sonant;
 Quae nisi pallenti nemo videt ore viator.
 Hac animis, ferro cetera facta via est.
 Quae Sueci obstiterant, per densa cadavera venit.
 Testis adhuc ingens ossibus albet humus.
 Nec mora longa fuit, venientem fulminis instar,
 Quem non posse putat Suecus adesse, videt.

Tantaq̄₃ nox animi est; hanc sponte laceffere demens,
 Quâ perdendus erat, cœpit in arma manum.
 Audendi causa, felix furor hæctenus, & spes
 Imperij, & Sueca robora pubis erant.
 Dimicat Austriades, & castris exiit hostem,
 Omniaq̄₃ ingenti cade fugâque replet.
 Vicini colles, vicina sanguine valles,
 Et procul hinc latè sanguine terra rubet.
 Battaue sic venit, qui, quàm sic vincere, mauult
 Parcere, si vinci forsan amore potes.
 Sic venit, monuitq̄₃ alio te victor in hoste:
 Tantaq̄₃ confecit dum tibi bella parat.
 Ferdinandei sunt hæc primordia Martis.
 Sic iuuenis veterum contudit arma ducum.
 CAROLE, vosq̄₃ atavi Reges, magniq̄₃ PHILIPPI,
 Quacumque atherea vos tenet ora plage,
 Spectate è calo, & tanto gaudete Nepote,
 Qui quâ venistis tendit in astra viâ.

*At nobis tecum simul omnia gaudia Princeps,
Ipsa etiam tecum est visa venire salus.*

*Salve ingens animis, ingens virtutibus Heros,
Sospite quo sospes Belgica semper erit.*

*Certa fides: mens hoc sapiens innataq; stirpi
Austriaca virtus spondet, & ipse Deus.*

*Talis Alexander, cum debellare Darium
Cœpit, & Euphratem sub iuga traxit, erat.*

*Talis erat Proavus, cum Rhenum victor & Albim,
Et tenuit Libyci littora capta freti.*

*O quoties Tibi, seu domitas subiecero urbes,
Seu valido adversas fregeris ense manus,*

*fam castris assueta tuis Victoria laurum
Ad sibi dilectum deferet ipsa caput!*

*O quoties hæc scuta ducum, galeasque comantes
Atria formosâ figet ad alta manu!*

*Pictaq; signa feras, anulsaq; rostra carinis,
Heu nimium velis hætenus ausa suis!*

I felix